



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Præpositi Generalis munere sese sponte abdicat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

*Præpositi Generalis munere sese
sponte abdicat.*

CUm priuatæ vitæ desiderio teneretur Philippus, atque graue sibi videretur, qua erat humilitate, aliis imperare, Francisci Minorum Patriarchæ exemplum secutus Præpositi munere omnino se abdicare constituit: in hanc itaque ille sententiam ingressus, Patribus, qui assistere in deliberationibus solerent, conuocatis, quid in animo fixum haberet, enunciat, rogatque, vt nulla sui habita ratione Congregationis utilitati prospiciant omnes, cum debeat vnusquisque suam voluntatem ad publicam causam aggregare, & quamprimùm nouum deligant Præpositum Generalẽ, qui cunctis præfit, virum se & animo, & corpore firmiorem: ego enim inquit, Patres, senectute iam confectus ad res agendas non satis mihi aptus videor: haud ergo æquum opinor hoc à me

diu-

diutius ferri pondus debere: vnum
itaque etiam atq; etiam oro, eliga-
tis, qui mihi fessa iam ætate viro suc-
cedat: date mihi quæso, vt liber ab o-
nere, vacuus à curis rectius immi-
nenti morti me comparem.

Sed vbi animaduertit, quibus re-
bus putabat mentes Patrum ad suū
imperium flectere, illis ipsis studia
eorum vel maximè incendi, ne vo-
ti compos efficeretur, Augustinum
Cusanum, & Federicum Borromæ-
um Cardinales rogare mox cœpit
id suo nomine cum Patribus age-
rent, vt se Præpositi munere abire
permitterēt: Qua re cognita, eā illi
prouinciam libenti animo suscepē-
re. Pridie itaq; nonas Iulias conuo-
catis Patribus, quibus ferendi suffra-
gij ius erat, exponunt ijdem Cardi-
nales Philippum quàm suppliciter
potest, rogare sibi primùm fessa iam
ætate Præpositi onere abdicare li-
ceat; tum vt Congregatio Cæsarem
Baronium ex antiquioribus filijs

vnum

vnnum Præpositum deligat : ad quæ
Summi Pontificis voluntatem ac-
cedere fatebatur, vt qui totam rem
approbaret, & eundem Baronium
Generalem Præpositum declaran-
dum fore censeret. Baronius vt hæc
audit, displicet mihi vehementer
dicere cœpit, nec sanè sine dolore
loquor, id parentis nostri cõsilium:
Tamen cum eo ipse onere leuari
tantopere cupiat, idemque Amplis-
simi Cardinales suo nomine petant,
accedatque Sanctissimi voluntas,
eius desiderio haud repugnare am-
plius censet Congregatio: Philippo
interim in proposito, susceptoque
consilio permanente decernunt Pa-
tres vt nouus Præpositus eligatur,
cumque sua quisque responsa dedis-
set, suumque in schedula suffragium
reliquisset, Baronius quod initio iã
dixerat, antequam reliqui sacerdo-
tes suam protulissent sententiam,
non posse æquo animo pati, adiecit,
sc̄ eligi Præpositum Generalem, ne-

gat-

gatq; munus viribus impar suis vlla
ratione subiturum, nisi in se eligen-
do modus Congregationis decreto
definitus seruetur, liberisque sacer-
dotum vōtis relinquendum esse,
quem vellent, eligerent, idque se
quanto maximo poterat studio à
Cardinalibus, qui coram aderant,
atq; ab ipso Philippo efflagitare; fo-
re enim vt Sanctissimus Dominus
Noster haudquaquam repugnaret,
nostra nosset decreta.

Cum hæc, & alia multa in eam di-
xisset sententiam, eius opinionem
qui adstabant sacerdotes secuti, re
precibus Deo commendandam pu-
tant: Patres Neapolitanæ domus, vt
suam ipsi ferant sententiam per lite-
ras de noua Præpositi electione, ad-
monere decernunt, atq; his ita con-
stitutis cœtus ille dimittitur.

Interea rebus omnibus optimè
digestis, decimo Kal. Augustas, qui
dies B. Apollinari Episcopo, & Mar-
tyri anniuersario ritu sacer est, assi-
duis

duis iam precationibus, & sacrificijs eam in rem adhibitis, dato signo in vnum locum conuenere Patres, qui Philippo in proposito perseverante de noui Præpositi electione agi cœptum est: cumque suum quisque suffragium in schedulam misisset, suffragijs tandem legitime extractis, recitatisque Præpositus renunciatur Baronius, nemine præter ipsum Baronium discrepante, idq; ingenti omnium lætitia, quòd Beato Patri dignum, qui succederet, reperissent.

Præfuit is toti Congregationi maxima cum laude tribus plus annis, sui que officij munera, grauissimis etsi curis impeditus, summa semper diligentia, atque dexteritate executus est. Expleto triennio, ubi iterum de more ad suffragia ventum est, idem prorsus Patrum consensus in eo confirmando extitit, qui olim fuerat in eligendo. Sed vix hæc facta sunt, cum à Sanctissimo Domi-

no No-

no Nostro Clemen. VIII. vt superius attigimus, in Cardinalium numerum vnà cum Francisco Maria Taurusio Archiepiscopo Auinionensi collega, ac sodali suo cooptatus est.

Baronio Cardinali creato Angelus Vellius summo omnium consensu secundus à Philippo sufficitur anno redempti orbis millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, Iunio mense.

Angelorum voces audit.

EA erat Philippus sanctimonia, vt Angelorū cantibus, symphonijsque frueretur.

In obitu Helenæ Maximæ tredecim annos natæ eos suauissimè concinentes audiuit: fuit hæc Virgo in Dei amore mirè feruida: vitā suā arbitrio Cōfessarij moderabatur in omnibus: Christi mortem maximo cum sensu pietatis assiduis

*Id sacramento re-
statu est
Casar
Card. Baro-
nius, idem-
que sacer-
dos quidā
alius pra-
stitit.*

prope-